dita. Quemadmodum in Chymiâ edulcorare appellant, ſalſedinem à mixtis aut præparatis per frequentem Aquæ affuſionem tollere: talia autem ſunt *Aqua dulcis ſimplex*, *Mercurius dulcis*, *Calces metallorum edulcoratæ* &c. Imò *Terrea* ipſa medicè dulcia quoque appellari merentur, quatenus virtute inſigni pollent, ipſam maſſam ſanguineam edulcorandi, internè exhibita; extus verò applicata acrimoniam Ulcerum acidam abſorbendi, atque adeo ad illorum citam Curationem multum contribuendi.

CAPUT III.

De Temperie Medicamentorum.

§. 1.

Quid temperies Medicaminum.

TEmperiem medicamentorum Antiqui Medici vocârunt certam mixturam qualitatum maximè primarum, juxta quam alia *Calida*, alia *Frigida*, *Humida*, aut *Sicca* appellârunt. Cùm autem ſecundùm modernorum Medicorum principia talibus qualitatibus, ceu minimè realibus, effectus ejuſmodi attribui haud poſſint, atque hinc aliter longè explicari ſoleant, etiam hodie *Temperies Remediorum* appellabitur non niſi certa proportio principiorum, ſive particularum elementalium, quodlibet Remedium ingredientium, cujus ratione medicamenta nunc magis *ſalina*, nunc *ſulphurea*, nunc *aquea*, nunc denique *terreſtria* nuncupari poſſunt.

Temperata

§. 2. *Temperata* proin ante omnia ea ſtatuimus Remedia, quæ talem obtinent principiorum miſcelam, ut neque frigefaciant, neque calefaciant, &c. intenſiore gradu, quæque ſic temperatè admodum & amicè, Oeconomiam humani corporis animalem

lem afficiunt, ac vires probè conſervare, aut etiam reſtaurare apta nata ſunt. Sicut autem in Veterum Schola ad moderatam temperamentorum compoſitionem nullus requirebatur qualitatum exceſſus, ac prædominium, ita pariter juxta noſtra principia illud *temperatum* erit, in cujus compoſitione neque hujus, neque illius principii elementalis prædominium occurrit, ſed in quo principia ſingula ita amicè conveniunt, ut dici nequeat, tale eſſe vel nimis *volatile*, vel nimis *fixum*. Atque hæc eſt cauſa, quod *temperata* talia ſint utplurimum *alimentoſa*, digerant, paregorica exiſtant, roborent, & exceſſivum calorem moderentur.

Veterum diviſio retenta.

§. 3. Deinceps verò ne novas Remediorum diviſiones in Medicinam introducere velle videamur, tantiſper retinebimus illas à Veteribus excogitatas, ſed noſtro eas more explicabimus; In anteceſſum tamen monentes, epithetis ejuſmodi Remediorum non tam indigitari prædominium horum, aut illorum elementorum ſive principiorum, in quocunque ſimplici exiſtentium, quàm verò notari, vel exprimi quodammodo illorum varios effectus, quos quidem in Medicinâ præſtant. Sic *frigida* Remedia nuncupamus, non quæ actu præciſè frigidis pollent particulis, ſed quæ effectum refrigerandi edunt.

Diviſio noſtra.

§. 4. Hinc primò Medicamenta diſtinguimus in *calefacientia*, *frigefacientia*, *humectantia* & *ſiccantia*, quæ perperam ab aliis dicta ſunt *calida*, *frigida*, *humida* & *ſicca*. Cum enim hæc poſteriora epitheta reſpectum habeant ad particulas in quolibet ſimplici contentas, vel ad externum ſenſum magis, quàm ad effectus & virtutes inde promanantes, ad quas tamen magis attendendum eſt, ſine dubio priores illæ voces commodiores & ſignifican-

ficantiores in rem præsentem judicabuntur.

§. 5. *Calefacientia Remedia* in *genere* sunt, quæ calorem sive motum intestinum humorum circulantium intendunt & augent, ob prædominium Salis volatilis & sulphuris, aut particularum ignearum in eorum substantiâ apparentium. *Calefacientia autem primo gradu* in *specie* dicuntur, quæ obscurè admodum & vix sensibiliter motum illum particularum sanguinis augent, & in quibus principia suprà dicta parciùs eminent, atque particulis terreis vel aqueis multum adhuc sunt obtusa. Talia existunt partim *dulcia*, verb. grat. *Radices Glycirrhizæ*, *Polypodii*, *Sisari*, *Scorzoneræ*; partim *pinguia insipida*, quæ licèt sapore nullo polleant, tamen in recessu particulas quasdam blandè volatiles obtinent, prout sunt *Malva*, *Mercurialis*, *Rapunculi*, *Scabios. Endiv. Trachelia*, *Flores Borraginis*, *Consolidæ regalis*, *Turiones Asparagi* & *Lupuli*, è quibus *Juscula* omnium optimè, dein etiam *Infusa*, *Decocta*, *Clysmata*, *Aquæ destillatæ* parari possunt; partim sunt *odorata* quædam, sed sine sapore notabili, prout sunt *Radices Asparag. Ireos* tàm *florentinæ*, quàm *nostratis*, *Flores Tiliæ*, *Scabiosæ*, *Primulæ veris*, *Verbasci*, *Rosarum*, *Tunicæ*, *Betonicæ*, è quibus *Pulveres*, *Infusa*, *Decocta*, *Conserva*, *Syrupi* parantur, & ad confortandas maximè vires usurpantur, partim sunt *terrea*, quæ in recessu vestigia quædam volatilitatis monstrant, prout sunt *Adianthum*, *Cuscuta*, *Sanicula*, *Pyrola*, *Alchymilla*, *Angelica erratica*, *Gramen Parnassi*, *Trifolium pratense purpureum*, & id genus, quæ proin non immeritò in classem Vulnerariorum medicaminum referri possunt, ac in formâ Infusorum loco Thèe, Decoctorum, Essentiarum, Extractorum ad sananda Vulnera, Ulcera, aperiendas obstructiones, sangui-

Calefacientia.

primo gradu.

Vulneraria

ſanguinem acrem edulcorandum uſurpantur.

ſecundo gradu, §. 6. *Calefacientia ſecundo gradu* ea poſſunt nuncupari, quæ ſulphure ac ſale, ſive fixo, ſive volatili magis aperto, & eminenti gaudentia, jam ſenſibiliter œconomiam hominis alterant, humorumque calorem ſive motum inteſtinum citra moleſtiam aut læſionem manifeſtè augent, propterea-que tonum Viſcerum roborant, obſtructas hinc inde vias aperiunt, ſordes abſtergent, & Menſes denique movent, &c. *Inter hæc* occurrunt *Reſinoſa, Balſamica* & *Spirituoſa*, v. gr. *Gummata* varia, *Balſama* exotica, *Terebinthina, ſummitates Pini, Succinum, Myrrha*; è quibus *Balſama, Emplaſtra, Pilulæ, Eſſentiæ, Spiritus, Olea* parantur. *Item Amara* vegetabilia, prout *Carduus benedictus, Ariſtolochia, Marrubium album, Abrotonum, Gentiana, Trifolium fibrinum, Calendula, Rhabarbarum, Lignum colubrinum, Cortex Chinæ, Abſynthium, Centaurium minus, Aloë*, è quibus *Pulveres, Eſſentiæ, Extracta, Infuſa, Decocta, Pilulæ, Boli* componuntur, imò etiam *Fomentationes, Balſama, Olea*, &c. pro uſu externo. Nunc reperiuntur *Aromatica remedia*, v. gr. *Petaſites, Meliſſa, Ocymum, Calamintha, Origanum, Serpillum, Majorana, Roſmarinus, Salvia, Mentha aquatica*, è quibus *Pulveres, Tragemata, Vina medicata, Infuſa, Elixiria, Eſſentiæ, Extracta, Epithemata, Fomentationes, Balnea, Semicupia, Pediluvia, Pulveres fumales, Aquæ deſtillatæ* in uſus externos aut internos componuntur. Nunc ſunt *acriuſcula*, quæ acrioribus ſalinis particulis pollent, v. gr. *Thlaſpidia, Beccabunga, Semina Raphani, Napi, Aniſi, Carvi, Radix Aronis, Sigilli Salomonis, Imperatoriæ, Zedoariæ, Jalappæ, Plantago aquatica, Apium, Aſarum*; è quibus *Pulveres, Infuſa, Succi, Juſcula, Eſſentiæ, Extracta, Vina medicata* &c. componuntur. Nunc tandem

tandem *sunt Salsa*, v. g. *Flores Salis armon. Tartar. Vitriolatus, Nitrum Vitriolatum*, &c. in Pulveribus, Infusis, Vinis medicatis usurpabilia.

§. 7. *Calefacientia tertio gradu* ea dicuntur, quæ sale plus minus volatili, cum vel sine sulphuris accessione eminentius gaudentia, corpus nostrum sensibiliter alterant, caloremque humorum manifestius, atque si in usu eorum excedatur, non sine noxâ augent, hincque sanguinem valde rarefaciunt, ejusque salino-sulphureo-volatiles particulas admodum intendunt & explicant, flatus discutiunt, poros obstructos aperiunt, spiritus debiles restaurant, Cachexiam omnem corrigunt. In hanc classem referimus *omnia Salia* aut *Sulphura volatilia*, in quibus sal volatile plus minus oleosum eminentius prædominatur, v. gr. *Spiritus* omnes *ardentes*, aut *salini volatiles*, *Cochlearia*, *Trifolium fibrinum*, *Nasturtium aquaticum*, *Olea destillata omnia*, *Piper*, *Zingiber*, *Cinnamomum*, *Macis*, *Cardamomum*, *Caryophilli*, *Radices Ari*, *Valerianæ*, *Imperatoriæ*, *Calami aromatici*, *Zedoariæ*, *Galangæ*, *Cyperi*, *Cortex Winterani*, *Cubebæ*, &c. è quibus *Pulveres*, *Tragemata*, *Essentiæ*, *Elixiria*, *Vina medicata*, *Hippocratica*, *Extracta*, *Epithemata*, concinnantur. *tertio gradu.*

§. 8. *Calefacientia tandem quarto* gradu sunt, quæ sale acerrimo & caustico volatili aut igneis efficaciter particulis pollentia vehementissimè operantur, non sine gravi læsione, aut corrosione quoque, qualia sunt *Mercurius sublimatus*, *Arsenicum*, *Raphanus rusticanus*, *Cantharides*, *Semen sinapi*, *Erucæ*, *Flammula jovis*, *Cataputia*, *Esulæ omnes*, *Ranunculi*, reliquaque *Rubefacientia* & *Erodentia*; è quibus vesicas aut ruborem excitantia, exedentia, absumentia &c. parantur. *quarto gradu.*

§. 9. *Frigefacientia Remedia* sunt ea, quæ principiis *Remedia frigefacientia.*

cipiis activis salis volatilis ac sulphuris exaltati parcius instructa, passivis autem magis pollentia, effrænem humorum æstum demulcent, motumque eorum intestinum debiliorem reddunt, salia volatilia figunt, & coagulant, sulphurque sanguinis deprimunt. Hinc in *Refrigerantium* medicamentorum Classem referuntur primùm omnia *Aquosa*, particulis aqueis maximè gaudentia; dein *Mucilaginosa aquea*; postmodum *Acida*, quæ sal acidum solutum habent. Quò etiam pertinent *nitrosæ Plantæ*, remedia *terrea* vel *austera*, ac *styptica*; tandem etiam *hypnotica*, sulphure impuro, narcotico, virosoque gaudentia. *Primo gradu* Refrigerantia sunt, quæ non admodum notabiliter sanguinem nostrum refrigerant, v. gr. *Decoctum Hordei, succus Portulacæ, Endiviæ, Lactucæ, Serum caprillum, Aquæ ex Plantis nitrosis*, v. gr. è *Parietariâ, Lactucâ, Nymphæâ, Endiviâ destillatæ, Aqua fontana simplex* etiam & *pura, Albumen ovi, Gelatina C.C. Tragacanthum, Semina quatuor frigida majora* vel *minora*; *Ptisana ex Hordeo, Radice Graminis.*

primo gradu,

§. 10. Refrigerantia *secundo gradu*, evidenter jam & manifestè calorem sanguinis infringunt, æstumque temperant, qualia sunt v. gr. *Acida* blanda omnia, inprimis *Succi Cydoniorum, Berberum, Ribium, Citri, Cerasorum acidorum, Rubi idæi, Acetosæ, Acetosellæ, Agrestæ, Pomorum acidorum, Mororum, Granatorum acidorum*, indeque præparati *Julepi*. Huc quoque refer *Acidulas minerales*.

secundo gradu,

§. 11. Refrigerantia *tertio gradu* vehementer jam intestinum humorum motum debilitant, ipsamque Massam sanguineam simul incrassant, quemadmodum sunt *terrea* & *adstringentia, Bolus Armena, Lac Lunæ, Terra sigillata, Tormentilla, Flores Balaustiorum, Hypocistis, Cortex Granatorum, Ichtyocolla, Musci*

tertio gradu.

Muſci varii &c. è quibus *Pulveres*, *Boli*, *Electuaria*, *Cataplaſmata*, *Epithemata* cum *Mixto Albumine ovorum* &c. parantur.

§. 12. Refrigerantia *tandem quarto gradu ſunt*, quæ motum ſanguinis inteſtinum prorſus, ſive rodendo, ſive maximè figendo deſtruunt, necemque inducere apta exiſtunt, atque proin in uſum medicum parciſſimè & nonniſi cum debitâ circumſpectione trahenda, quemadmodum ſunt *Hyoſcyamus*, *Napellus*, *Opium*, *Cynogloſſa*, *Nicotiana*, *Papaver album*, *Colchicum*, *Cicuta*, *Scammoneum*, *Solanum* quodcunque, *Aqua fortis*, *Spiritus acidi* omnes majore doſi exhibiti. *quarto gradu.*

§. 13. *Humectantia* definiri poſſunt Medicamenta, quæ aqueo paſſivo principio admodum pollentia, corpus noſtrum humectare, ſeroſas humorum partes conſervare, reſtaurare & augere apta nata ſunt. *Remedia humectantia,*

§. 14. Quæcunque ergo in hunc cenſum, hancque Tabulam referri debent Remedia, aqueis particulis ceu oblongis, flexilibus, & lævibus eminenter pollebunt, & ſicubi contingit, activas quoque aqueis ſociari moleculis, hæ tamen parcâ magis quantitate adſint, & aqueis dominium concedant oportet, ſi quidem *Humectantia* appellari mereantur.

§. 15. Si verò gradualem in his differentiam ſpectemus, ea *primo dicemus gradu* humectare, quæ activis principiis vel penitus carentia, vel exiguè tantùm inſtructa, modicam obtinent particularum aquearum ſulphureis ſociatarum quantitatem, quemadmodum ſunt *Radix Conſolidæ majoris*, *Althææ*, *Liquiritiæ*, *Malvæ cum toto*, *Scorzoneræ*, *Rapunculi*, in quibus mucilaginoſa quædam hæret ſubſtantia, *Herbæ* item *recentes Malvæ*, *Althææ*, *Parietariæ*, *Symphyti*, *Sphondylii*, *Plantaginis*, *Succiſæ*, *Scolopendriæ*, *Hepaticæ fontanæ*, &c. *Flores Papaveris Rheados*, *primo gradu,*

Rheados, Liliorum alborum, Nymphææ, Gummi arabicum, Tragacanthum, &c. è quibus *Aquæ destillatæ, Infusa, Epithemata, Decocta*, &c. parantur.

Secundo gradu

§. 16. *Secundo gradu* humectare credimus plantas magis succulentas, v. gr. *Sempervivum, Lactucam agninam, Folia Ficûs indicæ, Portulacam, Telephium, Blitum, Atriplicem*, ut & *Gelatinas* varias, & *Mucilagines*. Atque si tertio quartoque gradu nonnulla humectare dicenda sint, quamvis plurimi id negent, protinus in *Lacte, Aquis fontanis, aquosisq; liquoribus, Cerevisiâ, Decocto hordei, Jusculis Herbarum, Fructuumq; pulpis & succis* consistere autumamus; quæ omnia per se, aut in *Jusculis, Acetariis, Aquis destillatis, Julepis* &c. usurpantur.

Quorsum Spiritus & Olea referenda sint.

§. 17. Sed quonam *Oleum?* Quò *Spiritus sulphureos ac salinos* referemus? cùm eorum nulla hic fiat mentio. Annon cùm liquidam obtineant consistentiam, & Humectantium censui annumerandæ erunt? Ita verò sibi imaginantur quàm multi Doctissimi Medici; nos verò cum distinctione respondemus: Quod enim primò attinet *Olea*, ea quidem lubricare, laxare, emollire censemus, sed simul humectare negamus, nisi mucilaginosis particulis sociata simul sint, quemadmodum id in quibusdam observare licet, v. gr. *Succo Olivarum* &c. Dein *Spiritus* illi sive *sulphurei* sive *salini*, externam quidem humidorum liquorum formam habent, *humidaq;* nuncupari possunt, sed si consideremus eorundem vim atque effectus in Corpore humano, è cujus humorosâ massâ serosam portionem per vias varias præcipitant atque minuunt, ultrò delabemur in eorum sententiam, qui spiritus dictos sulphureos quidem calefacere & siccare, salinos autem, inprimis acidos, refrigerare & siccare statuerunt.

Modus agendi humectantium.

§. 18. *Modus agendi Humectantium* in eo consistit,

ſiſtit, quòd particulæ aquoſæ (inprimis ſi ſalis alicujus præſentia mucilaginoſitatem quandam conciliet, & facilè adhæreſcat partibus noſtri corporis) intra corpus aſſumtæ, ſuâ flexibilitate, mobilitate atque facili penetrabilitate in ſanguinem illapſæ ejus ſeroſas particulas multiplicent, ſolidioresque moleculas à ſe invicem diſgregent.

§. 19. Affectus, in quibus *Humectantia* deſiderantur, varii exiſtunt. *Requiruntur certè*, ac eorum uſus indicatur *in Atrophia*, ubi ſucci aquoſi defectus adeſt; requiruntur *in Aridis faucibus*, ubi mucilaginoſa reliquis præferenda, quippe diutius adhærentia partibus, uti ſunt *Mucilago ſeminis Pſyllii, Cydoniorum, Gummi Tragacanthi, Hordei*, &c. requiruntur in *Contracturis Tendinum*, ubi dicta mucilaginoſa pinguibus permixta proſunt; requiruntur *in Oculorum* variis *Affectibus* & Morbis, ubi itidem cum *Aquis Ophthalmicis mucilaginoſa* conducunt; poſtulantur denique *in Raucedine* & *Trachearum ſiccitate*, ubi *Decoctum Liquiritiæ, Ficuum* & *Jujubarum*, nec non *Syrupi Violarum, de Althæâ Fernelii, Papaveris Rheados*, &c. aut *Mucilaginès* cum *Oleo Lini, Olivarum* vel *Amygdalarum dulcium*, additis ſimul *Syrupis*, omnem paginam abſolvunt. *Affectus humectantibus curandi.*

§. 20. *Siccantia* tandem *Remedia* ea nuncupamus, quæ principio terreſtri actu, vel quaſi tali gaudentia, ſuperfluas in corpore humiditates abſumunt, hincque varios uſus in eo præſtant. *Remedia ſiccantia.*

§. 21. Subinde enim contingit, ut vel intra corporis machinam, vel in ejuſdem partibus externis, cute inprimis, ſeroſæ humiditates ſtagnent, atque vel *Hydropem*, vel *Anaſarcam, Leucophlegmatiam, Scabiem, Hydrocelen*, variaque *Cutis Exanthemata* producant: Quibus in caſibus nonniſi *Siccantia* indicantur & requiruntur medicamenta. *Quibus Morbis data.*

§. 22. Par-

Partes ea componentes.

§. 22. Particulæ autem hæc medicamenta constituentes non solùm terreæ sunt & absorbentes, sed & sulphureo-salinæ, alcalinæ fixiores, vel resinosæ etiam, atque subinde austeræ terreæ.

Siccantia gradu Primo.

§. 23. Quæ *leviter* & *primo gradu* siccant, ea vel sunt simpliciter *terrea* & *absorbentia*, vel etiam *sulphureo-aquea calida*, v. gr. *Thermæ sulphureæ* aut *sulphureo-aluminosæ*, *Argillæ Thermarum*, *Cerussa*, *Pompholyx*, *Creta*, *Lac Lunæ*, *Metallorum Calces*, *Mercurius præcip. ruber* vel *albus*, *Unicorum fossile*, *Plumbum ustum* & *lotum* &c. quorum pars externè in *Balneis*, *Semicupiis*, *Cataplasmatibus*, *Unguentis*, *Emplastris*; pars internè in formâ *Pulverum*, *Bolorum*, *Electuariorum*, usurpantur.

gradu secundo,

§. 24. *Secundo gradu* exsiccant, quæ multis particulis *terreis*, cum *Alcalino sale* permixtis constant, v. gr. *Amaricantia* & *aromatica acria*, prout sunt *Radix Aristolochiæ*, *Gentianæ*, *Scrophulariæ*, *Absynthii*, *Rhabarbari*, pro interno usu in *Decoctis*, *Vinis medicatis*, *Infusis* &c. Dein *Euphorbium*, *Cineres clavellati*, *Foliorum Tabaci*, aut *Bufonum*, aliorumque *Animalium combustorum* pro externo usu, *Pulvis* item *Cochlearum* unà cum *Testis suis* ustarum & calcinatarum, qualis maximè commendatus est, cùm intus ad *Hydropicorum* Aquas absorbendas, & per urinæ vias præcipitandas, tum etiam extus in *Hydrocele* exsiccandâ, forma *Cataplasmatis* cum admixtis aliis adhibitus.

gradu tertio,

§. 25. *Tertio gradu* siccare dicuntur, quæ partim resinosis sulphureis, partim terreis austeris, partim denique alcalinis instructa sunt particulis, verb. grat. *Camphora*, *Mastiche*, *Gummata varia*, *Resina Pini*, *Vitriolum*, *Alumen ustum*, *Pulvis Balaustiorum*, *Gallarum*, *Calx viva*, &c. usu maximè externo in *Suffumigiis*, *Balsamis*, *Emplastris*.

§. 26. *Quarto*

§. 26. *Quarto tandem gradu* siccare dicuntur *Caustica* omnia, tàm *actualia*, quàm *potentialia*, quemadmodum sunt *Mercurius sublimatus*, aut *præcipitatus*, *Arsenicum*, *Moxa inusta*, *Ferrum* aliudve *Metallum*, aut etiam *Lignum candens*, &c. *gradu quarto.*

Formulæ Calefacientium primo gradu.

℞. *Radic. rec. Rapunc.*
Trachel. ana ℥ß.
Herb. rec. Malv. aut
Mercurial.
Flor. Borrag. ana M j.
Turion. Asparag. Mß.

Incisis affunde Jusculi carnium ferventis qu. sufficit pro unâ dosi, stent usq; dum jusculum calidum hauriri possit, dein per linteum coletur & bibatur, ac per unam vel alteram hebdomadam semel aut bis quotidie bibatur, ad Sanguinem acrem temperandum, motumq; ejus circularem promovendum, atque in statu sano retinendum.

℞. *Aqu. dest. Scabios.*
Endiv. ana ℥vj.
Beton.
fl. Borrag.
Bugloss.
Rapuncul. ana ℥iij.

M. dentur ad Vitr. Indeque m. ac. vesp. Cyathus unciarum quatuor exhauriatur.

℞. *Radic. Asparag.*
Gramin.
Scorzoner.
Polypod. ana ℥ß.
Ireos flor.
Cichor. ana ʒiij.
Herb. Scabios. M ij.

Hed.

Hed. terr.
Veronic. ana Mj.
Pimpinell. sang. Mß.
Flor. Tunic.
Betonic.
Rosar. dam. ana pj.
Incis. affunde
Vini albi vet.
Aqu. fontan. ana ℔iij.
Hinc m. ac vesp. in Pastu ordinario Cyathus unciarum trium vel quatuor exhauriatur.

℞. *Radic. Graminis*
Taraxac.
Rapuncul. ana ℥vj.
Herb. Adianth. alb.
Alchymill.
Angelic. err.
Sanicul.
Pyrol.
Succis. ana Mß.
Seminis Anis. ℥ij.
Incisis atque in nodulo ligatis affunde ut suprà, & utere.

℞. *Cons. fl. Borrag.*
Bugloss.
Tunic.
Bell. min. ana ℥ß.
Ebor. ust. ppt.
Antim. diaphor. ana ℈ij.
Syrup. de Alchymill. vel
Capill. Ven. q. s.
M. F. Elect. detur ad Pyxid. Ac bis vel ter quotidie magnitudo Nucistæ capiatur.

℞. *Fol. Beton.*
Alchymill. ana Mj.

Hed.

Hed. terr.
Urtic. urent.
Pyrol.
Vincæ pervinc.
Veronic. ana M ß.
Flor. Borrag.
Primul. Ver.
Tunic.
Keir. ana pj.

Blümchen Thée bei Blütenring.

Incis. tenuiter d. ad scat. & usurpentur loco Fol. Thée semel per diem.

℞. *Radic. Pimpinell.*
Ireos florent.
Taraxac.
Sigill. Salom. ana ʒj.
Semin. Asparag.
Aquileg. ana ℈ij.
Ocul. 69. *ppt.* ʒij.
Sacch. alb. ℥ß.

M. F. Pulv. subt. detur ad Scat. Dosis m. ac vesper. ʒß. *cum Aqu. Endiv. vel Scabios.*

℞. *Aqu. Pimpinell.*
Sanic.
Hed. terr.
Scolopend.
Syrup. Capill. Vener.
de Scabios. ana ℥j.

M. d. ad Vitr. Dosis singulis trihoriis cochlearia tria, vel quatuor.

℞. *Aqu. Endiv.*
Numular. ana ℔ß.
Syrup. Ribium vel
Berber.
Cerasf. nigr.
de Acetosell. ana ℥iß.

M. d. ad Vitr. pro Julepo, cujus aliquot unciæ singulis trihoriis vel quadrihoriis hauriendæ.

℞. *Aqu. Acetos.*
Cichor. ana ℥vj.
Syrup. de Agrest. vel
Gran. acid.
de Nymph. ana ℥iß.
M. F. Julepus pro aliquot dosibus.

℞. *Decoct. Hordei cum*
Passul. Miß.
Aqu. Gramin.
Acetos. ana ℔ß.
Misce pro potu ordinario. in febribus

℞. *Semin. 4. frig. maj. ana* ℥ij.
Aqu. Portulac.
Malv. ana ℥iiij.
M. f. Emulsio, cui adde Syrup. de Nymph. ℥iß.
d. ad Vitr. pro 3. *vel* 4. *dosibus.* in eodem morbo

℞. *Cons. fl. Viol.*
Acetosell. ana ℥j.
Roob Ribium ʒiiij.
Unic. fossil. ʒj.
Syrup. Cydon. q. s.

F. Mixt. ad formam Opiatæ, de quâ subinde magnitudo Nucistæ capiatur, in Æstu qualicunque corporis, etiam febrili.

℞. *Crem. Tartari*
Nitr. Antimoniat. ana ʒj.
Rotul. Berber. ℥ß.
Sacch. ros. ℥j.
M. F. Pulv. subt. d. ad scat. Exhibeatur sensim cum potu ordinario ad æstum & sitim.

AB delicatulis potus ordinario miscendus.

℞. *Roob Sambuc.* ℥ß.
Passul. min. ℥j.
Succi Citri ʒij.

Item.

Sacch.

Sacch. penid. q. s.

M. F. Elect. d. ad Pyx. ac subinde cuspis cultri plenus lambatur.

℞. *Aqu. Verben.*
Lactuc.
Rosar.
Aceti rutac. ana ℥j.
Album. Ovi unius.

in dolore capitis febrili

M. d. ad Vitr. ac sæpè linteum huic liquori calenti immersum Fronti, Carpisque manuum applicetur tepidè, in Cephalalgiâ & corporis æstu.

℞. *Pulv. Cortic. Granat.*
fl. Balaust.
Terr sigillat.
Lapid. Hæmat.
Radic. Torment. ana ʒiij.
Vitrioli virid. ʒij.

Misce & cum rosaceo Aceto, Albumine Ovor. ac *Stupâ*, frigidè Fronti, Nuchæ, aut Inguinibus applicetur ad sistendas hæmorrhagias.

NB in malignis ab diarrhœa vel hæmorrhagia aegr.

℞. *Bol. Arm. ppt.*
Unic. fossil. ana ʒiß.
Nitri ppt. ʒj.
Sacch. alb. ʒij.
Laud. opiat. gr. iij.

M. F. Pulv. subt. d. ad ch. Dosis singulis sex horis in Æstu corporis dimidia drachma.

Formulæ Calefacientium secundo gradu.

℞. *Extract. Myrrh.* ʒß.
Gentian.
Card. bened.
Absynth. ana ℈j.
Trifol. fibr. ʒß.
Succin. alb. pp. ʒj.

NB, quemadmodum dolor Verpol. et intestinorum obstructio levatur et liberatur, ut ed in mesentericis [illegible]

Terebinth. q. s.

M. F. Pilulæ ex ʒj. *numer.* 40 *Conspers. Pulv. Liquir. d. ad scatul.* Ac inde sumantur decem vel 12. m. ac v. cum Jusculo vel vehiculo conveniente.

in diuturnis affectib.

℞. *Essent. Trifol. fibrin.*
Absynth.
Rhabarb.
Succin. ana ʒj.

M. d. ad Vitr. Dosis m. ac vesp. gutt. xx. ad 30. cum *Aqu. Cichor.* vel simili.

NB. magis aperitiv.

℞. *Radic. Aristol. ver.*
5. aperient.
Calam. arom. ana ℥ß.
Herb. Agrimon.
Anserin.
Card. bened.
Beton.
Marrub. alb.
Flor. Calend. ana Mß.
Summit. Absynth.
Cent. min. ana pj.
Semin. Fœnic. ʒiij.
Incisis, contusis atque in Nodulo ligatis affunde
Vini alb. Vet. Mj.
Aqu. fontan. calentis Mß.

Hinc mane ac vesperi horâ ante pastum cyathus unciarum quatuor, vel quinque exhauriatur.

Aem.

℞. *Herb. Scabios.*
Hed. terr.
Artemis.
Card. bened.
Summit. Cent. min. ana Mß.
Semin. Anis. vel
Fœnic. ʒij.
Radic. Carlin.

Rusci

Rusci ana ℥ß.
Incis. & contus. coque in
Aqu. fontan. ℳj.
Vini alb. ℔j.

Colatura postmodum detur ad Vitr. ac inde bibantur unciæ tres, vel quatuor man. ac vesperi.

℞. *Herb. Abroton.*
Absynth.
Aneth.
Meliss.
Hed. terr.
Origan.
Beton. ana ℳj.
Flor. Calendul.
Cheir.
Salv. ana ℳß.

Incisa mittantur in sacculum, qui coctus in *Vino albo*, & expressus calidè applicatur, sæpius iterando.

℞. *Olei Chamomill.*
Melilot. ana ℥ß.
Pini
Laurin.
destill. Bacc. Junip.
Spic. ana ℥j.

M. detur ad Vitr. ac inde Pars refrigerata sæpius inungatur.

℞. *Axung. Ursin.*
Anserin.
Olei Aneth.
Absynth. ana ℥ß.
destill. Succin.
Rorismar. ana ℈j.

M. detur ad Pyxid. ac usurpetur pro inunctione ut suprà.

℞. *Herb. Calaminth.*

Anſerin.
Origan.
Menthæ aquat.
Marrub.
Artemiſ.
Flor. Chamom.
Samb. ana Mj.
Cinerum Miij.

Inciſ. coque in ſ. q. Aqu. fontan. pro Pediluvio nocturno.

Calefacientium tertio gradu.

℞. *Spir. Cochlear..*
Salis armon. fœnicul. ana ʒij.
Aqu. Cinam. cum Vin. deſtill. ʒj.

Miſc d. ad Vitr. Doſ. m. ac v. 20. vel 25. gutt. cum vehiculo conveniente.

℞. *Eſſent. Zedoar.*
Galang.
Calam. arom. ana ʒiß.
Spir. Aniſ. vel
Fœnicul. ʒij.

M. d. ad Vitr. Doſis ut ſuprà.

℞. *Elix. Vit. Matth.* ℥j.
Eſſent. Carmin. Wed. ʒiß.

M. d. ad Vitr. Doſ ʒj. *m. ac veſperi ante paſtum.*

℞. *Vini Hungar. vel*
Hiſpan. vel
Frontiniac. opt. ℔j.

D. ad Vitr. Doſ. m ac v. unciæ duæ vel tres.

℞. *Radic. Imperator.*
Aron. ana ʒj.
Cyper. long. ℈ij.
Zingib. ℈j.
Cinam. el. ʒij.

Fragoa Stomachica.

Cardam.

Cardam.
Cubebar. ana ʒj.
Santal. rubr. ʒiß.
Sacch. alb. ℥iiij.
M. f. Pulv. subt. d. ad scat. Dos. m. ac v. ʒj. *vel* ʒiß.

℞. *Radic. Calam. arom.* ℥ß.
Galang.
Imperat. ana ʒij.
Fol. Meliss. Mj.
Origan. Mß.
Summit. Thym.
Mari ana pj.
Cortic. Winter.
Caryoph. arom. ana ʒj.
Semin. Fœnic. ʒij.
Incis. cont. ac in nodulo ligatis affunde
Vini albi Vet. Mij.
adde Sacch. alb. ℔j.
D. ad Vitr. Dos. m. ac v. ℥ij. *vel plures.*

℞. *Spir. Meliss.*
Rosar.
Aneth. ana ʒij.
Ol. still. Cinam. gutt. iij.
Caryoph. gutt. x.
Bals. Peruv. ʒij.
M. d. ad Vitr. ac linteola huic Spiritui sæpè immersa calidè Regioni cordis, vel Bregmatis applicentur.

℞. *Aqu. Borrag.* ℔j.
Rosar.
fl. Aurant. ana ℥j.
Sacch. penid. ℥iij.
Mixtis ac solutis affunde Spirit. Cerasi. nigr. opt. ℥iij. *vel plures.*

D. ad Vitr. Dosis m. ac vesper. post pastum duo vel tria cochlearia plena.

Formulæ Frigefacientium.

℞. *Aqu. Lactuc.* ℥iiij.
Portulac.
Syrup. Violar. ana ℥ij.
Rub. id. ʒvj.
M. f. Julepus pro aliquot dosibus in Febribus.

℞. *Flor. Ros. rubr.* ℥iß.
Affunde Aqu. fervent. Miß. *stent donec Tinctura rubicunda fuerit extracta, tum verò immitte ulterius Pomum Citri, vel Limonis succulenti dimidium in frusta discissum, & Sacchar. alb.* ℔ß. *vel* ℔j.
D. ad Vitr. Dosis subinde unciæ duæ, vel tres in Æstu febrili.

Plures heic alias frigefacientium Formulas addere nil attinet, cum intus quidem omnia Aquosa frigida, superius in Materiâ Medicâ recensita, extus verò etiam actu frigida cum circumspectione adhibita prosint.

Formulæ Humectantium.

℞. *Herb. rec. Lactuc.*
Endiv.
Portulac.
Acetos. ana M j.
Incisa coque in Jusculo Carnium, quod dein colatum propinetur, ac subinde repetatur.

℞. *Herb. Blit.*
Malv.
Lactuc. agnin.
Cherefol. ana M j.
Incis. coque in Jusculo ut suprà, & hauriendum præbe.

℞. *Herbar.*

℞. *Herbar. Brassicæ capit. Mj.*
Betæ Mß.
Endiv. Mj.

Incis. coqu. in s. q. Jusculi, & bidendum offer, sæpius repetendo.

℞. *Aqu. Malv.*
Cichor.
Endiv.
Lactuc. ana ℔ß.
Syrup. de Portulac. ℥iij.

M. detur ad Vitr. & hinc sæpius aliquot uncias bibe.

℞. *Gelatin. C. C. cum pedib. vel*
Ossibus vitulin. &
Gallinâ coctæ ℔j.

D. ad Pyxid. Hinc quotidie bis vel ter cochlearia duo in Jusculo soluta capiantur.

℞. *Seri Lact. bubul. aut*
Caprill. ℔ij.
Sacch. penid. ℥iij.

M. d. ad Vitr. Dosis subinde ℥iij. vel ℥iv.

℞. *Radic. Gramin.*
Liquir. ana ʒij.
Ficuum ping. par. vj.
Jujubar. par. v.
Passul. min. ℥iß.

Incis. coque in
Aqu. fontan. Mij.

Colatura dein pro potu ordinario concedatur.

℞. *Amygd. dulc. rec. exc.* ℥j.
Semin. Cucum.
Cucurb. ana ʒiij.
Aqu. Malv. ℥viij.
fontan. ℥vj.

F. l. a. Emulsi. cui adde

Julep. ros. ℥iß.

D. ad Vitr. pro pluribus dosib. intra diei spatium sumendis.

℞. *Aqu. Taraxac.*
Numul. ana ℔j.
Syrup. Viol. ℥iij.

M. d. ad Vitr. pro pluribus dosibus.

Formulæ Siccantium.

℞. *Lact. Lun.*
Cret. alb. opt.
Unic. fossil.
Terr. Lemn. ana ʒij.
Sacch. ros. ℥ß.

M. f. Pulv. subt. d. ad scat. Dos. m. ac vesp. ʒß. *ad* ℈ij. *cum Vehiculo convenienti.*

℞. *Antimon. diaph.*
Specif. stom. Pot.
Terr. sigill.
Corall. rubr. vel
alb. ppt. ana ʒiij.
Semin. Fœnic. ʒiß.
Cinam. el.
Nuc. mosch. ana ʒj.
Sacch. alb. ℥iß.

M. f. Pulv. subt. d. ad scat. Dosis m. ac vesp. drachma una.

℞. *Flor. Cheir.*
Salv.
Beton.
Summit. Thym.
Majoran. ana ʒj.
Ras. Lign. junip. ʒvj.
Mastich.
Thuris masc.

Styrac.

Styrac. cal.
Benzoin.
Gumm. Anim. ana ʒij.
Succin. flav. ʒiij.
M. f. Pulv. groſſ. pro ſuffimigiis.
℞. *Gumm. Sagapen.*
Elem.
Tacamah.
Opopanac. ana ʒj.
Styrac. cal. ʒij.
Rad. Biſtort.
Gallar. ana ℈ij.
Ceræ & Tereb. ana q. ſ.
M. f. Empl. tenax, parti imponendum ad humiditates diſcutiendas.

CAPUT IV.

De Emollientibus Remediis.

§. 1.

E*Mollientia* ſive *μαλακτικὰ Remedia* ea dicuntur, quæ ſiccitatem atque duritiem præternaturalem corrigere, & humores quoſcunque coagulatos tenuiores ac fluidiores reddere poſſunt. *Emollientia quid.*

§. 2. Occaſionem autem inveniendis hiſce Remediis exhibuerunt varii corporis Morbi, partim interni, partim externi. Interni quidem ſunt *Alvi obſtructio*, à fœcum duritie, *Oris* & *faucium ſiccitas*, & ſimiles Affectus. Externè verò medicamentorum talium applicationem poſtulant varii *Tumores*, ſive à flatibus, ſive à ſanguine ſeroque extravaſatis oriundi, quemadmodum ſunt *Clavi pedum*, *Calli cutanei*, *Furunculi*, *Apoſtemata*, *Scirrhi glandularum*, *Heruiæ*, *Tumores flatulenti*, *Ganglia*, *Fungi*, &c. *Occaſio inventionis.*

§. 3. *Ma-*